



mam rotundæ pyramidis acuminato fastigio in altum desinente. Quicquid namque à natura talem sortitur formam, à Lusitanis *Pico* vocatur. Mons hic altitudinis est trium millium passuum. Intus cavernosus est, multisque antris obscuris excavatus. Solet nonnumquam ejaculari flammam, Ætnæ instar. Ad pedem hujus montis, Orientem versus, fons conspicitur aquæ dulcis, qui interdum ignea fluente, lapidesque ignitos effundit: tantaque violentia atque impetu, ut eos veluti torrens, per declivia & subjecta loca ad mare usque protrudat, itidemque ex horum lapidum mole promontorium effecerit, quod *Miserii* vulgo nuncupant. Distat hoc à dicto fonte 12 mill. pass. Hodieque ad mille quingentos passus solito ulterius in mare extenditur, ex continuata nempe lapidum hinc devolutorum congerie. Nugantur qui scribunt hanc insulam à *Pico* Martio ave nomen sumere. Loca hujus insulæ præcipua sunt, *Sancta Cruz*, *las Lagoas*, *S. Sebastiani*, aliaque minoris momenti. Cæterum Insula cedris abundat: alterum quoque quoddam ligni genus copiose fert, quod *Teixo* vocant, pulcherrimum sane maximeque pretii, rubro colore mirabiliter variegatum, quod cædere sine Officialium permissione illicitum; pecora præterea habet, multumque vini, fructuumque delicatissimorum incredibilem copiam.

## F A Y A L A.

**F**ayala à S. Georgii insula jacet versus Africum, & 17 aut 18 milliaria ambitu complectitur; à Fago arbore denominatur hæc

insula. Lusitani enim fagum *Faya* & *Fagatal* (sive locum fagis consitum) *Fayal* vocant. Superesse etiamnum in hac insula ex posteritate Flandrorum, qui eas primi inhabitaverunt, familias quasdam, uti sunt qui vocantur *Bruyn*, *Vrechte* &c. ex viro quodam Lusitano fide digno percepi. Linschotanus quoque testis oculatus scribit in suo Itinerario Belgica lingua edito, in hac eadem torrentem fluere, quem Hispani *Ribera de los Flamengos* (id est Flandrorum rivulus) nominant, additque omnes hujus insulæ incolæ à Belgio oriundos, atque Belgis hæctenus bene favere. Gladium colunt insulani, quod sat feliciter hæc provenit, cujusque causa potissimum aditur: pecore, piscibusque abundat, iisque ipsam Terceram quandoque providet: portum nullum habet, aut unicum oppidum quod *Villa Dorta* vocant, cui arx parum firma adjacet, præsidio Hispanico defensum.

## F L O R E S &amp; C V E R V O.

**F**lores Insula, à florum copia sic dicta, distat à Tercera, versus Occidentem mill. 70, septem milliaria ambitu continet: nihil commercio dignum præter gladium fert: pascuis vero & pecorum gregibus & armentis abundat: patet pene omnibus advenis, quia nullo præsidio custoditur.

*Cuervo* insula admodum exigua est, utpote quæ vix tria milliaria ambiat, unius miliaris intervallo à *Flores* insula distat. Hæc duæ insulæ proprie à numero Aforum non sunt, illis tamen annumerari solent, eidemque Governatori parent.

## F I N I S.



midior tamen est, ventique adeo penetrantes, ut ferrum, murosque domuum, tractu temporis haud ita magno, exedant; quemadmodum Linschotanus oculatus testis se vidisse affirmat: hancque ob rem incolæ exteriores domuum partes, lapidibus, in littore sub aquis repertis, qui melius aeris inclementiæ, ventorumque violentiæ resistere possunt, tegere coguntur. Aer hic malignus, ventique nocivi, quamvis in species adeo duras, dicto modo, delaviant, hominibus nullum damnum adferunt, utpote qui non multis morbis divexari solent. Porro aeris constitutio nonnumquam peculiare huic Insulæ morbos causat; quemadmodum is est, qui vulgo *Oax* dicitur; hæc paralyticos species nominari posset, cum homini usum membri alicujus, vel etiam totius corporis adimere soleat: præter hunc alius est *O sangue* appellatus; est autem suffusio sanguinis in vultu circa oculum, vel in alia quadam corporis parte orta.

Morbi.

Fontes.

Soli qualitas.

In insula hac fontes sunt tanto calore præditi, ut facillime ovum immixtum coquant: nec non tribus à civitate Angra leucis fons est qui tractu temporis ligno admirandam tribuit duritiem.

Territorium Insulæ cavum esse judicatur, quia in modum cavernarum resonat, si quis in eo incedat; hinc est quod Insula terra motibus non raro sit obnoxia; ignem quoque inclusum esse fumus quandoque prodit; cæterum frumenti & vini fertile est, omnibusque rebus ad vitam necessariis abundans; quamvis vinum tenue sit & potui vulgi inserviens: Opulentiores vero Canariense, vel Maderense potare solent. Oleum & sal aliunde huc ferri solet, nam iis caret Insula; fructuum egregie ferax est, inter quos excellunt Batatæ radices, ob abundantiam nullius fere pretii. Solum porro altissimum est, & rupibus asperimis undique cinctum; rupes vero omnes vineis consistæ, adeo ut mirum sit ubi arbores in solo adeo saxoso radices egerint. Planities frumentum gladiumque abunde proferunt, præcipue circa oppidum *Villa de Praya*. Cedris Insula abundat, iisque incolæ ad naves construendas, imo focum struendum utuntur. Præterea arbores aliæ sunt, quarum ligna sanguineo & pulcherrimo colore relucunt; aliæ flavo & albo coloribus admodum vivis distinguuntur. Sylvæ & arboribus omnia plena; ferarum tamen, præter cuniculos non ita magno numero, nihil. Armenta boum, qui pulchritudine ac specie Europæos longe superant, hic fere innumera, singuli propriis nominibus distinguuntur, & protinus magistro vocante adsunt. Avium ferarum nulla fere hic copia, nisi eas excipias, quas Canarienses appellamus, quæ innumera sylvas cantibus implent: hæc insidiandis, capiendis, rursusque dividendis non pauca occupatur Insulanorum manus. Æstate piscatio hic satis felix, sed hyberno tempore maris inclementia, quominus retia expediant piscatores, obest.

Incolæ.

Incolæ fere omnes aut Lusitani, aut Hispani sunt, quique patrio viventes modo. id iis peculiare, quod venatione non delectentur; cæterum gnæviter agriculturam exercent, remque domesticam diligenter administrant; necessitate forte coacti; quemadmodum ex eo patet,

Hispania.

quod, cum hujus insulæ frumentum corruptioni sit obnoxium, nec anni spatio integrum servari queat, ut id conservent, fossas effodere, iisque dictum frumentum quatuor sexve mensibus credere solent. præsertim in oppido de Praya, singuli fere cives singulas habent cavernas, adeo largas ut hominem intrantem intrmittere possint, easque cooperiunt; sigilloque quisque suo muniunt: Mense Julio frumentum condunt, & ad festum Nativitatis Salvatoris nostri integrum recipiunt, facileque deinceps conservant incorruptum.

Insula rupibus undique velut aspero cingitur muro, portum vero sinumve defendendis navibus aptum non habet; ante Angram tamen mare semilunari ambitu patens portum exhibet: huic imminent duo alti montes, quos vulgo *Bresil* vocant, quibus duæ lapideæ speculæ superstruæ; è quibus vigiles certis signis ex alto appellationum navium numerum & qualitatem obnuntiant: ad radices horum montium ad portus munitionem extruæ sunt arces firmissimæ sibi invicem oppositæ, adeo ut nulla navis iis nolentibus portum intrare queat. Præsidium insulæ quondam è militibus Portugalesibus constare solebat; post ultimam vero Portugallensium defectionem, insulæ custodia solis Hispanis creditur; exteris autem insulæ gyrum facere haud licitum est: olim ne quidem iis urbe excedere permixtum, nunc paululum remissi rigores. Insulam regit Regio nomine Governator, Angra domicilium habens, ubi quoque tribunal justitiæ est in hanc & reliquas Insulas jurisdictionem exercent. Cæterum Angra Episcopatus est, superiorem agnoscens in spiritualibus Lisbonæ Archiepiscopum.

## G R A C I O S A.

**G**raciosa distat à Tercera versus Circium 7, aut 8 milliaria, ambitu suo quinque tantum aut sex milliaria complectens: amenissima est, nec minus fertilis, unde nomen ei inditum, à Lusitanis inhabitatur; nullisque præsidariis custoditur, quod ob exiguitatem sumptus ferre non possit; loca ejus præcipua sunt, *Villa de la Playa* & *Sancta Cruz*.

## S. G E O R G I I.

**O**cto novemve milliariibus versus Corim à Tercera est Insula S. Georgii, duodecim in longitudinem, vix tria milliaria in latitudinem extensa; loci ejus præcipue qui habitantur sunt oppidum S. Georgii, S. Joannis, *Faxan*, alique minoris momenti: montibus & sylvis frequens est, gladiumque, nec non fructus sat abunde profert; nonnihil vini hic quoque colligitur.

## P I C O.

**P**ico insula duodecim milliaria à Tercera versus Mesolibonotum est, quindecim milliaria in longitudinem patens. Nomen accepit hæc insula à monte, quem habet, in formam

Qq



AGORES = J. BLAEU. c. 1660  
composé par lui-même n° 62 de Reuss & Son  
en 17/10/16, liste n° 2739  
DM 800 + / = 989 DM = 100.000/00

2739